ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE PRORECTOR ISAACUS DORNER D. CUM SENATU...

Isaac August Dorner

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

ISAACUS DORNER D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

HERMANNUM SAUPPE D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Inest
FRIDERICI WIESELERI
disputatio de loco, quo ante theatrum Bacchi lapideum exstructum Athenis acti sint ludi scenici.

GOTTINGAE MDCCCLX.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

Summo magistratu academico, quem per hunc annum gessi, propemodum perfunctus laeto animo renuncio successorem collegarum suffragiis creatum et ab Augustissimo Rege eodemque Universitatis nostrae literariae Rectore Magnificentissimo clementissime confirmatum virum experientissimum et diligentissimum

HERMANNUM SAUPPE D.,

qui inde a Kalendis Septembribus cum benevolentia atque prudentia hujus Academiae gubernacula tenebit. Huic igitur ut omnes, quorum interest, debita et honori et virtuti obsequia praestent, hoc ultimo muneris mei decreto moneo et edico, Deum Optimum Maximum orans ex animo, ut consilia ejus fortunet.

Athenienses ubi ante theatrum Bacchi lapideum exstructum edendos curaverint ludos scenicos, ambigunt homines docti. Si Boeckhium audis, tam in magnis Dionysiis quam in Lenaeis ludi spectabantur ex tabulatis ligneis in Lenaeo exstructis aut ibi, ubi postea theatrum lapideum conditum est, aut in vicinia hujus loci [1]). Etiam secundum Leakium locus fuit idem ipse, in quo postea theatrum lapideum aedificatum est [2]). Contra Godofredus Hermannus tabulata illa lignea et in foro et in Lenaeo collocata fuisse existimavit [3]). Quocum faciens Theoph. Car. Guil Schneiderus tradidit, Dionysia urbana celebrata esse ludis in foro, Lenaea vero ludis in Lenaeo editis [4]), locum, ubi hoc factum esset, neque is definiens accu-

1) Comment. de Lenaeis, Anthesteriis et Dionysiis, quae inserta est Actis Academ. Berolinensis ex annis MDCCCXVI et MDCCCXVII, p. 70 sq.

2) Cfr. „Topographie Athens, von W. Martin Leake, zweite Ausgabe, übersetzt von J. G. Baiter und H. Sauppe" p. 180.

3) Vid. Diurn. literar. Lipsiens. a. MDCCCXVII edit. p. 478 sq.

4) „Das Attische Theaterwesen" p. 6; cfr. etiam p. 23, adn. 24, et p. 46, adn. 42.

ratius. Porro Franc. Volcm. Fritzschius hanc esse theatri Attici historiam censuit [5]: quum antiquitus tabulata suffecissent in foro posita, inde ab Ol. LXX, 1 ludos ad acropolin in Lenaeo, justiore quodam, sed certe ligneo theatro esse commissos; deinceps primum Athenis (sic!) ex saxo exstructum esse theatrum Piraeum, fortassis (nam annum nesciri) paullo ante initium belli Peloponnesii; postremo etiam Lenaeum, quum satis diu ligneum fuisset, e saxo aedificari coeptum esse: coeptum opus, sed argenti inopia aliove casu retardatum, Lycurgum rhetorem tandem absolvisse: quis potissimum aut quonam tempore inchoasset, nos testium penuria haud satis accurate habere dicere, sed in oculos incurrere, non nisi paucissimos annos inter principium operis finemque interponi posse. Praeterea silentio non est transmittenda sententia P. Forchhammeri, rati, aedificium illud, cujus Aeschylo et Choerilo et Pratina inter se certantibus tabulata lignea corruissent, nullum esse aliud quam odeum vetus ad Ilissum situm [6]. Denique C. E. Geppertus expressis verbis omnino negavit, ludos unquam in foro esse celebratos, simulque contendit, eos non editos esse nisi in Lenaeo, et prioribus quidem temporibus loco ab eo, ubi postea theatrum lapideum exstructum est, diverso quidem, at maxime vicino [7].

At enim vero, ut hinc ordiar, exstant, quae testatum faciant, antiquitus tabulata lignea fuisse in foro. Pertinent huc bini ex iis lexicographorum et grammaticorum locis, quibus de tabulatis illis sermo est [8], atque ii, quibus populi cujusdam nigrae mentio fit ita, ut juxta ipsa illa tabulata fuisse tradatur [9]. Neque enim est probandum, quod Geppertus sumit, his locis intelligendam esse populum aliquam nigram in Lenaeo positam, a notissima illa, quam in foro

---

5) Adnot. ad Aristophan. Thesmophoriaz. Vs. 393; vid. etiam Comment. de Lenaeis Athen. festo, Rostochii MDCCCXXXVII in lucem emiss., I, p. 37.

6) „Topographie von Athen" p. 42.

7) „Die altgriechische Bühne" p. 34 sqq.

8) Photii p. 106, 2: *Ἴκρια, τὰ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἀφ' ὧν ἐθεῶντο τοὺς Διονυσιακοὺς ἀγῶνας πρὶν ἢ κατασκευασθῆναι τὸ ἐν Διονύσου θέατρον*, et Eustathii ad Homer. Odyss. III, 350, p. 1472, 4: *ἰστέον δὲ ὅτι ἴκρια προπαροξυτόνως ἐλέγοντο καὶ τὰ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἀφ' ὧν ἐθεῶντο τὸ παλαιὸν τοὺς Διονυσιακοὺς ἀγῶνας πρὶν ἢ σκευασθῆναι τὸ ἐν Διονύσου θέατρον.*

9) Locos, quibus agitur de populo nigra in vicinia tabulatorum sive theatri lignei collocata, plenissime collectos proposuit Schneiderus l. c. p. 62 sq., adn. 72. Cfr. etiam Welckeri Append. Trilog. Aesch. p. 257, adn. 211, et Theodor. Bergkii Epist. ad Schillerum p. 122. Nonnulli loci tractabuntur in adn. 11.

fuisse etiam aliunde scimus [10]), diversam [11]). Praeterea nollem Geppertus nihili esse pendendum dixisset locum Platonis a Schneidero allatum, quo ludi scenici in foro committendi commemorantur [12]). Sane non est sermo de ipso foro Atheniensium. At quis sibi persuaserit, fori commemorationem merae philosophi fictioni deberi? Taceo, quod scimus, praestigiatores non minus in foro quam

---

10) Cfr. Hesych. s. v. *ἀπ' αἰγείρων* (Vol. I, p. 224, 15 ed. a M. Schmidtio curatae): *„Ἀνδροκλέα τὸν ἀπ' αἰγείρων" ἀντὶ τοῦ συκοφάντην· ἐπειδὴ ἐκ τῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ αἰγείρου τὰ πινάκια ἐξῆπτον, τουτέστιν ἐξήρτων, οἱ ἔσχατοι.* Postrema verba novam explicationem continent; pertinent enim ad eos, qui ex populo nigra ludos spectabant.

11) Jam Fritzschius adn. ad Arist. Thesmoph. Vs. 393, p. 144, digitum intenderat ad glossam Hesychii hancce: *Αἰγείρου θέα· αἴγειρος ἦν Ἀθήνησι πλησίον τοῦ ἱεροῦ, ἔνθα, πρὶν γενέσθαι θέατρον, τὰ ἴκρια ἐπήγνυον,* quae eadem reperitur apud Suidam s. v. *Αἰγείρου θέα* (cfr. etiam Zonar. Lex. p. 65 Tittm. s. v. *Αἴγειρος*), monens fieri posse, ut aliquis *τὸ ἱερὸν* interpretaretur *Bacchi templum.* At ea interpretatio haudquaquam est admittenda, quamquam Geppertus l. c. p. 37, adn. 3, adeo pro certa habendam esse dicit, si modo demonstratum fuerit, verba *τοῦ ἱεροῦ* esse genuina; at, inquit, esse se per literas edoctum a Godofredo Hermanno, scribendum esse: *τοῦ ἰκρίου.* Scilicet est haec non a Godofredo Hermanno, sed jam a Meursio (Lect. Att. Lib. IV, Cap. ult.) facta conjectura, quam jure respuerunt recentiores quidam viri docti. Sane dubitari nequit, quin inepta sit vox *ἱεροῦ.* Tonpius scribendum proposuit: *χωρίου.* Contra Gaisfordius in eam potius inclinavit sententiam, ut locum integrum refingendum esse censeret in hanc speciem: *αἴγειρος ἦν Ἀθήνησι, ἧς πλησίον, πρὶν γενέσθαι θέατρον, τὰ ἴκρια ἐπήγνυον,* provocans ad Lex. Seguer. in Bekkeri Anecd. p. 354, 25: *Ἀθήνησιν αἴγειρος ἦν, ἧς πλησίον τὰ ἴκρια ἐπήγνυντο εἰς τὴν θέαν πρὸ τοῦ θέατρον γενέσθαι.* Hanc emendandi rationem jure improbat Bernhardyns. Illam Tonpii conjecturam equidem non dubitarem recipere, nisi mihi probabilius videretur, scriptum fuisse: *τοῦ γέῤῥου.* Cfr. modo, ne plura afferam de significatu vocabuli *γέῤῥον,* Eustath. ad Homer. Odyss. XXII, 184, p. 1924, 2: *Παυσανίας δὲ γράφει οὕτω· γέῤῥα σκηνώματα καὶ Περσικὰ ὅπλα — καὶ περιφράγματα· Αἴλιος δὲ Διονύσιος, ὅτι γέῤῥον καὶ αἱ περιπεφραγμένοι τόποι* cet. Praeterea vid., quae infra monebuntur p. 15, adn. 46. — Neque opinor audiendnm esse, si quis ex eo, qnod populus illa nigra apud Eustathium ad Homer. Odyss. V, p. 1523, 55, Suidam s. v. *ἀπ' αἰγείρου θέα* et in Bekkeri Anecd. p. 419 collocata fuisse dicitur *ἐπάνω τοῦ θεάτρου,* conjecturam capere voluerit, fuisse talem arborem etiam in Lenaeo, memor usus dictionis *τὸ θέατρον,* quae nullum aliud quam theatrum lapideum sub arce situm significare soleat. At, opinor, luce clarius est, grammaticos illos aut errasse aut intellexisse theatrum ligneum in foro exstructum. Hoc alterum quominus probetur, haudquaqnam prohibere vocem *ἐπάνω,* infra p. 16 ostendemus. Praeterea locus, quem Geppertus illi populo nigrae assignat in Lenaeo, alius est.

12) Plat. de Legibus VII, p. 817, d: *μὴ δὴ δόξητε ἡμᾶς ῥᾳδίως γε οὕτως ὑμᾶς ποτε παρ' ἡμῖν ἐάσειν σκηνάς τε πήξαντας κατ' ἀγορὰν καὶ καλλιφώνους ὑποκριτὰς εἰςαγομένους* cet.

in theatro spectanda praebuisse artificia sua [13]. Sed etiam hoc notum est, forum Spartanorum a loco, ubi chori agebantur, ipsum appellatum esse *χορόν* [14]. Quin expressis verbis testatum reperimus, in foro Atheniensium fuisse orchestram [15]. At enim ait Geppertus, credibile non esse, ludos editos esse in loco, qui non Baccho, sed alii cui deo sacer vel adeo profanus esset. Audio equidem; sed meminisse jubeo veteris oraculi Dodonaei, quo Athenienses hortatur deus, ut Baccho sacra faciant *εὐρυχόρους κατ' ἀγυιάς* [16]. At quid multis moror? Exstat enim testimonium, ex quo liquet, adeo Pindari temporibus Dithyrambos cantatos esse in foro Atheniensium; dico eximium illud dithyrambi fragmentum apud Dionysium Halicarnassensem servatum, quod plenius exscribendum curabimus in adnotatione infra posita [17].

---

13) Cfr. Juncus apud Stobaeum 117, 9, p. 596, 21, Vol. III, p. 446 Gaisf. *καθάπερ ἐπὶ σκηνῆς, ἢ τινὸς ἀγορᾶς, ἐν ῇ δεικνύουσιν οἱ θαυματοποιοὶ τὰ θαύματα.*

14) De choro Spartanorum egit E. Curtius in E. Gerhardi Diurnis archaeol. a. MDCCCXLVIII, p. 293, et in libri, quem de Peloponneso scripsit, Vol. II, p. 229 et 231. Rettulimus autem illud ex fide Curtii.

15) Cfr. Phot. p. 351, 16: *Ὀρχήστρα πρῶτον ἐκλήθη ἐν τῇ ἀγορᾷ· εἶτα καὶ τοῦ θεάτρου τὸ κάτω ἡμίκυκλον, οὗ καὶ οἱ χοροὶ ᾖδον καὶ ὠρχοῦντο,* et Timaei Lex. Platon. s. v. *Ὀρχήστρα: τὸ τοῦ θεάτρου μέσον χωρίον, καὶ τόπος ἐπιφανὴς εἰς πανήγυριν, ἔνθα Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνες.*

16) Reperitur oraculum apud Demosthenem in Mid. §. 52 (Orat. Attic. recens. a Baitero et Sauppio T. I, p. 667):

αὐδῶ Ἐρεχθείδαισιν, ὅσοι Πανδίονος ἄστυ
ναίετε, καὶ πατρίοισι νόμοις ἰθύνεθ' ἑορτάς,
μεμνῆσθαι Βάκχοιο, καὶ εὐρυχόρους κατ' ἀγυιὰς
ἱστάναι ὡραίων Βρομίῳ χάριν ἄμμιγα πάντας,
καὶ κνισᾶν βωμοῖσι, κάρη στεφάνοις πυκάσαντας.

Non est dubium, quin dictio *εὐρύχοροι ἀγυιαὶ* imprimis etiam ad forum spectet. Haud quaeram accuratius, utrum Bacchus pertinuerit ad deos viales an minus, ut arbitratur C. Fr. Hermannus disp. de Terminis eorumque Relig. apud Graecos p. 28, adn. 111.

17) Verba huc pertinentia sic scripta edidit Bergkius Poët. lyr. Graec. ed. alt. p. 241:

Ἴδετ' ἐν χορόν, Ὀλύμπιοι,
ἔπι τε κλυτὰν πέμπετε χάριν, θεοί,
πολύβατον οἵτ' ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα
ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις
οἰχνεῖτε πανδαίδαλόν τ' εὐκλέ' ἀγοράν·
ἰοδετᾶν λάβετε στεφάνων

Operae enim erit pretium paullo accuratius inquirere in locum, ubi hic dithyrambus sit cantatus, et in tempus, quo id videatur esse factum. Et Boeckhius quidem existimabat chorum cyclium actum esse in tholo [18]). Contra Dissenius saltatum esse censebat circa aram duodecim deorum [19]), eumque secuti sunt plures homines docti [20]). At enim vero constat actos esse dithyrambos ab hominibus circa aram Bacchi saltantibus; potest autem tantum non haberi certum, illam duodecim deorum aram omnino non pertinuisse ad Bacchum. Quivis, opinor, praejudicatis opinionibus non praepeditus ultro in eam incidat sententiam, ut dithyrambum saltatum esse conjiciat in orchestra, quam fuisse scimus in foro. Nihil refert, quod apud nullum veterem scriptorem reperitur testatum, in hac orchestra positam fuisse Bacchi aram. Cogitandum est enim de ara ad tempus exstructa vel apportata. Verba autem Pindari haudquaquam prohibent, quominus illa sententia probetur [21]). — Hactenus de loco. De tempore consentiunt interpretes Pindari, carmen post bella Persica conditum esse statuentes. Ita esse Boeckhius conjecit ex eo, quod forum *πανδαίδαλον* dicitur; „inde" enim, inquit, „cernas dithyrambum hunc post crematas a Persis Athenas

τῶν ἐαριδρέπτων λοιβᾶν, Διόθεν τέ με σὺν ἀγλαΐᾳ
ἴδετε πορευθέντ' ἀοιδᾷ δεύτερον
ἐπὶ κισσοδέταν θεόν,
τὸν Βρόμιον Ἐριβόαν τε βροτοὶ καλέομεν.

18) Ad Pindar., T. II, P. 2, p. 576 sq.; cfr. etiam Corp. Inscr. Graec. Vol. I, p. 557.

19) In Commentar. ad Pindar. Carm., p. 617 ed. I. Gothanae.

20) Etiam E. Curtius in Gerhardi Diurn. archaeol. l. c.

21) Haud multum refert in hac quidem quaestione, utrum, quem Pindarus dicit *πολύβατον ἄστεος ὀμφαλὸν θυόεντα*, diversum esse statuamus ab ea, quae appellatur *ἀγορά*, quamquam in hac ipsa collocatum, ut vulgo fit; an interpretemur de foro ipso, quae explicandi ratio mihi quidem videtur praeferenda esse jam propter epitheton *πολύβατον*. Etiam in Epigr. Simonidis, quod editum est in Corp. Inscr. Graec. n. 1051, qui commemoratur *ὀμφαλὸς πόληος* mihi potius de foro intelligendus videtur in media fere urbe Megara sito, quam de curia, licet de hac cogitet Boeckhius Vol. I, p. 557. Probabile est eos, qui dithyrambum Pindaricum cecinerunt, respexisse ad aram duodecim deorum, ad quam ducit commemoratio Olympiorum deorum. At constat hanc collocatam fuisse in vicinia orchestrae, ita ut sumere liceat, eam satis bene oculis usurpari potuisse ab iis, qui in orchestra versarentur, et vice versa, quamquam ne opus quidem est, ut nos ita statuamus. Postquam deos Olympios appellaverunt, poeta ipsos altero loco se convertentes facit ad Bacchum; unde probabiliter aliquis conjiciat, locum, ubi hic celebratur, diversum esse cogitandum ab eo, in quo collocata erat illa ara.

splendidiusque instauratas scriptum esse." Ulterius progressus Schneidewinus Pindarum post pugnam Plataeensem urbe jam restaurata Nemea profectum Athenas dithyrambum docuisse in Dionysiis asseruit [22]). Neque infitiamur, conjecturam Boeckhii, quae illo, quo facta est, tempore probabilissima videri debuit, etiam nunc satis esse speciosam. At enim, quum novissimo tempore certum sit vel saltem probabile redditum, novum forum idque splendidissimum a Pisistrato ipsiusque filiis esse conditum [23]), dubitare aliquis possit, an hoc potius respiciatur a Pindaro, ita ut minime opus sit dithyrambum demum post pugnam Plataeensem scriptum statuere. Accedit, quod mirum videri possit, dithyrambum, si ad hoc tempus referendus sit, non esse actum in theatro Bacchi lapideo sub arce sito. Quod enim Boeckhius opinatus est, hoc theatrum ad illam rem non fuisse accommodatum, parum est probabile. An existimavit vir summus, theatrum lapideum Ol. LXX, 1 aedificari coeptum — de hoc enim eum cogitasse par est credere — dirutum esse sub ipsam pugnam Salaminiam? Ut largiamur, theatrum illud aliquid damni contraxisse, at hoc minime tantum esse potuit, ut aedificium post pugnam Plataeensem non esset idoneum, in quo dithyrambi agerentur. Itaque statuendum videtur, aut illum Pindari dithyrambum compositum esse antequam theatrum lapideum Bacchi aedificatum esset, aut etiam post hoc theatrum exstructum nonnumquam usu venisse, ut dithyrambi in foro agerentur. Atque ita fuisse, infra novo testimonio allato probabile reddemus. Utut est, hoc certum est, carmen Pindaricum eo ducere debere, ut non hunc solum dithyrambum vel eos tantum, qui circa idem tempus acti sint, extra ordinem in foro esse saltatos credamus. Habent enim talia loca sua religionibus et usu sancita.

Haud minus testatum visum est hominibus doctis, jam antiquitus, prius quam theatrum Bacchi lapideum sub arce exstructum esset, editos esse ludos in Lenaeo.

Exstant sane tres lexicographorum loci, quibus certamina commissa

22) Disput. de Vita et Script. Pindari, quae habetur in Pindar. Carm. commentar. illustr. a Dissen. edit. II, Sect. I, p. LXXXIX, adn. 14, et p. CXIII.

23) Vid. imprimis quae disputavit E. Curtius in „Verhandlungen der funfzehnten Versammlung deutscher Philologen, Schulm. u. Oriental. in Hamburg," p. 70 sqq., quibus nuperrime adstipulatus est B. Starkius in Lentschii Philol. Vol. XIV, p. 711 sqq.

esse traduntur in Lenaeo, antequam theatrum aedificatum esset [24]). Quo Lenaei loco acti sint ludi, non significatur accuratius; nisi quis credere vult, apud Hesychium atque in Bekkeri Anecdotis intelligendum esse templum Bacchi Lenaei intra Lenaeum situm vel locum, qui erat ante ipsum hoc templum [25]); quae sententia sane est inepta, nisi forte sermo est de primordiis artis dramaticae. Jam si vera esset opinio Leakii, conjicientis, exstitisse etiam temporibus Andocidis oratoris in Lenaeo orchestram, diversam illam ab orchestra theatri lapidei atque hac antiquiorem [26]), probabile esse videri posset, circa illam orchestram prioribus temporibus ludos esse actos. At non est dubitandum, quin orchestra ab Andocide commemorata pertineat ad ipsum theatrum lapideum [27]). Porro si quis firmis rationibus allatis demonstraverit, vetus odeum ad Ilissum situm fuisse in Lenaeo, ego haud cunctabor eatenus certe assentiri Forchhammero, ut in hoc aedificio dithyrambos, sed non omnes, esse actos probabile dicam eo tempore, quod antecedit ipsam theatri lapidei exstructionem (dramatis enim agendis ne id quidem satis idoneum erat); quamquam tantum abest, ut illa conjectura testes habeat locupletes, ut tunc aliud quid actum

---

24) Cfr. Hesych. s. v. *ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών: ἔστιν ἐν τῷ ἄστει Λήναιον, περίβολον ἔχον μέγαν, καὶ ἐν αὐτῷ Ληναίου Διονύσου ἱερόν, ἐν ᾧ ἐπετελοῦντο οἱ ἀγῶνες Ἀθηναίων, πρὶν τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι.* Phot. p. 162: *Λήναιον περίβολος μέγας Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ τοὺς ἀγῶνας ἦγον πρὸ τοῦ θέατρον οἰκοδομηθῆναι, ὀνομάζοντες ἐπὶ Ληναίῳ· ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ καὶ ἱερὸν Διονύσου Ληναίου,* Bekker. Anecd. p. 278: *Λήναιον, ἱερὸν Διονύσου, ἐφ' οὗ τοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν πρὸ τοῦ τὸ θέατρον ἀνοικοδομηθῆναι.*

25) Pendet illud ex quaestione, utrum apud Hesychium verba *ἐν ᾧ* referenda sint ad vocabulum *περίβολον,* an potius ad vocem proxime antegressam *ἱερόν,* atque ex altera hac, utrum alter scriptor vocabulum *ἱερὸν* ceperit de eo, qui reliquis locis appellatur *περίβολος,* an de templo, qua vi praeditum est vocabulum *ἱερὸν* locis consimilibus. Quod posterius qui sumpserit, ei sane erit statuendum, hunc scriptorem vocabulo *Λήναιον* significatum attribuisse ab eo, qui vulgo reperitur diversum. Hesychium qui probe norit, concedet, priorem interpretandi rationem haudquaquam esse violentam.

26) Cfr. „Topographie Athens" p. 210 sq., adn. 3.

27) Verba Andocidis, quae habentur in Orat. de Myster. §. 38 (Orat. Att. recens. a Baitero et Sauppio Vol. I, p. 36) haec sunt: *ἔφη γὰρ εἶναι μὲν ἀνδράποδόν οἱ ἐπὶ Λαυρίῳ, δεῖν δὲ κομίσασθαι ἀποφοράν. ἀναστὰς δὲ πρῴ ψευσθεὶς τῆς ὥρας βαδίζειν. εἶναι δὲ πανσέληνον. ἐπεὶ δὲ παρὰ τὸ προπύλαιον τοῦ Διονύσου ἦν, ὁρᾶν ἀνθρωποὺς πολλοὺς ἀπὸ τοῦ ᾠδείου καταβαίνοντας εἰς τὴν ὀρχήστραν. δείσας δὲ αὐτούς, εἰσελθὼν ὑπὸ τὴν σκιὰν καθίζεσθαι μεταξὺ τοῦ κίονος καὶ τῆς στήλης, ἐφ' ᾗ ὁ στρατηγός ἐστιν ὁ χαλκοῦς.* Quo loco quin de theatro Bacchi sermo sit, quum

esse in hoc odeo expressis verbis tradatur [28]. Jam sane Pausanias in eo inter alia vidit Bacchi statuam [29]. At vereor equidem, ut inde sequatur, Baccho sacratum fuisse aedificium, nedum in Lenaeo situm. Antiquis temporibus, quum, ut Euanthii utar verbis, „comoedia, ut ipsa quoque tragoedia, simplex carmen fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat", agendi locum fuisse eum, qui erat ante ipsas aedes Bacchi in Lenaeo sitas, ubi ara dei erat sub divo, probabiliter sumere licet. Existebat autem in Lenaeo jam antiquissimis temporibus templum Bacchi, cui cognomen erat Lenaeo. Postea, sed tempore et ipso satis antiquo, accessit templum Bacchi Eleutherii [30]. At simulatque excultae sunt comoedia et tragoedia, et crevit spectatorum numerus, alio loco opus fuit. Si videbatur necesse, ut ludi Bacchici ederentur in Lenaeo, sane nullus erat locus magis idoneus quam is, in quo postea exstructum est theatrum Bacchi lapideum; hunc enim locum pertinuisse ad Lenaeum, certum est [31]. At secus fuisse, vel ex eo apparet, quod paullo supra ostendimus, nonnunquam dithyrambos actos esse in foro. Saltem concedendum erit, Dionysiis spectacula data esse etiam in foro. Vel sic igitur sane statui potest, ludos maximam partem editos esse in Lenaeo. Sed lexicographorum illorum, de quibus sermo est, verba ita sunt comparata, ut sponte eluceat, locum, ubi ludi traduntur commissi ante exstructionem theatri, cogitari diversum ab eo, ubi hoc theatrum erat situm. Num igitur verisimile est, lexicographos cogitasse de temporibus artis dramaticae nondum excultae? Non est; certe is, quem secuti sunt auctorem, haudquaquam in illa sententia fuit. Sequitur hoc etiam ex eo, quod bini aliorum exstant lexicographorum loci, ii-

jam per se vix dubium esse possit, tum ut omnino non dubitemus faciunt verba postrema collata cum verbis, quae reperiuntur in schol. ad Aristid. Vol. III p. 535 ed. Dindorf., hisce: *δύο εἰσὶν ἀνδριάντες ἐν τῷ Ἀθήνησι θεάτρῳ, ὁ μὲν ἐκ δεξιῶν Θεμιστοκλέους, ὁ δ' ἐξ εὐωνύμων Μιλτιάδου, πλησίον δὲ αὐτῶν ἑκατέρου Πέρσης αἰχμάλωτος.* Accedit quod Photius loco paullo supra in adn. 15 allato orchestram Leakianam plane ignorat.

28) Cfr Hesych. *ᾠδεῖον, τόπος, ἐν ᾧ πρὶν τὸ θέατρον κατασκευασθῆναι, οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ οἱ κιθαρῳδοὶ ἠγωνίζοντο.*

29) Graec. Descr. I, 14, 1: *Ἐς δὲ τὸ Ἀθήνησιν εἰσελθοῦσιν ᾠδεῖον ἄλλα τε καὶ Διόνυσος κεῖται θέας ἄξιος.*

30) Cfr. Pausan. I, 20, 2 et quae disputavit Boeckhius de Len., l. c., p. 70 et p. 117 sqq.

31) Sequitur illud vel ex eo, quod, ut notum est, appellatur *τὸ ἐν Διονύσου θέατρον.*

que haud dubie ex eodem fonte hausti, ubi ludi appellantur scenici [32]). Praeterea tenendum est, omnibus locis appellari *ἀγῶνας*, *certamina*, quae secundum Plutarchum Thespidis temporibus nondum committebantur [33]). An nunc quoque erit, qui censeat, theatrum, quod commemoratur, non esse intelligendum Bacchicum illud sub arce Athenarum situm, sed recentius aliquod? Olim sane adeo Godofredus Hermannus de theatro Piraeo cogitavit [34]). At vero rationes, quibus ductus ita statuit, Lenaea eadem esse ac Dionysia ruralia arbitrans, post ea, quae Boeckhius in eximia illa, quae est de Lenaeis, dissertatione exposuit, nemo cordatus amplius probabit; ut taceam, id quod facile intelligitur, verba ipsa haudquaquam favere illi interpretationi.

Aut omnino fallimur aut gravis subest error illis lexicographorum locis, quibus ludi traduntur, antequam theatrum exstructum esset, editi esse in Lenaeo. Haud sane abrogabimus fidem scriptoribus propterea quod ita locuti sunt, quasi theatrum Bacchi lapideum — de hoc enim sermonem esse certissimum est — situm esset extra Lenaeum. Sic enim etiam alii statuerunt [35]), cujus rei quae sit ratio, alio loco ostendemus. Nihilominus jam hoc scrupulum injicere possit, quod illud minime fit in illa adnotationis forma, quam exhibent scriptor Etymologici magni et Suidas. Gravius est, quod haec omnino adversa fronte pugnat cum altera, ex qua ludi tantum ante theatrum aedificatum putandi sunt commissi in Lenaeo. Etenim scriptor Etym. magni et Suidas ita loquuntur, ut de universo tempore, per quod ludi sunt acti, cogitasse jure possint videri. Haud veremur, ne aliquis reliquos lexicographos propius accedere ad id, quod verum est, opinetur, Fritzschium sequens, verba ab his posita ita interpretatum, quasi non valerent nisi de temporis spatio, quod

32) Vid. Etym. magn. p. 361, 39: *ἐπὶ Ληναίῳ· περίαυλός τις μέγας ἦν Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ ἱερὸν Διονύσου Ληναίου, καὶ τοὺς ἀγῶνας ἦγον τοὺς σκηνικούς*, et Suid.: *ἐπὶ Ληναίῳ· περίβολός τις μέγας ἐν ᾧ τοὺς ἀγῶνας ἦγον τοὺς σκηνικούς.*

33) Cfr. Plutarch. Solon. C. XX. Vid. tamen quae monuit Welckerus Append. Trilog. p. 255.

34) Cfr. Diurn. lit. Lips. l. c., p. 479: „Es ist nicht undenkbar, dass unter dem Theater, vor dessen Erbauung man auf dem Lenäon an dem Feste der ländlichen Dionysien Schauspiele gab, das im Piraeeus gemeint ist, so dass wenn Schauspiele auf diesem Theater erwähnt werden (s. Boeckh Graec. Trag. Princ. p. 206) wohl an die ländlichen Dionysien oder Lenäen zu denken ist".

35) Pausan. I, 20, 2 et 3, atque Marin. Vit. Procl. p. 74 Fabr.

intercessisse arbitratur inter Ol. LXX, 1 et eum annum, quo theatrum lapideum in Lenaeo esset exstructum. Apparet enim, talia esse verba, ut de universo tempore exstructionem ejus theatri, quod illi lexicographi intelligunt, antegresso oporteat cogitare. Omnino illa Fritzschii sententia sanequam est mira. Quis enim agnoscat discrimen illud, quod vir doctissimus intercedere opinatur inter theatrum ligneum in foro locatum atque id, quod post Ol. LXX, 1 in Lenaeo esse exstructum sumit [36])? Quis a se poterit impetrare, ut verisimile ducat, Athenienses, quum tabulata lignea collapsa essent, denuo ligneum fecisse theatrum? Qui, si nulla alia caussa fuisset, cur novum novo loco theatrum aedificarent, quam „tabulata non nimis artificiose compacta" in foro, profecto nihil aliud egissent, quam id, ut illa eodem loco majore cum arte exstruerent. Porro utraque lexicographorum de ludis in Lenaeo editis sermocinantium pars, imprimis illi, qui certamina tradunt commissa ante theatrum exstructum, pugnant omnino cum iis, qui de tabulatis in foro positis rettulerunt [37]). An censebimus, ab illis *τοὺς ἀγῶνας*, quos appellant, intellecta esse *ea certamina, quae quidem in Lenaeo solerent committi;* ita ut sumere liceat, reliquos ludos editos esse in foro. Haec sententia fere congruit cum ea, quam a Schneidero prolatam supra cognovimus. Possit ea primo obtutu speciosa videri etiam ideo, quod nos ipsi supra demonstravimus, revera in Dionysiis magnis dithyrambos in foro agi solitos esse. Placuit nuper etiam Sauppio [38]). Vel sic tamen procul dubio non est admittenda. Schneiderus nihil egit, ut ipsam locis scriptorum vel saltem rationibus allatis stabiliret. Neque vero licebit provocare ad verba Photii, secundum quae *τοὺς ἀγῶνας* appellabant *ἐπὶ Ληναίῳ*. Etenim tantum non cer-

---

36) „*Ἴκρια*", inquit ad Arist. Thesmoph. l. c., p. 144, „ligna diceres non nimis artificiose compacta, Lenaeum vero fuit ligneum illud quidem, at, nisi plane lippio, aliquod tamen theatrum". Quasi vero aedificium in foro exstructum, ad quod illa tabulata pertinebant, non fuisset „aliquod theatrum"!

37) Vid. adn. 8. — Sensit etiam Welckerus, quum scripsit l. c. p. 256 sq.: „Dem Thespis und seinen Mitkämpfern und Nachfolgern schauten die Athener zu auf einem hölzernen Gerüst auf dem Marktplatz oder in dem Lenäon".

38) Siquidem recte intelligo verba collegae conjunctissimi, quae posuit libr., qui inscriptus est „Platons ausgewählte Dialogen, zweites Bändchen, Protagoras" p. 42, adn. 9: „Das Lenaeon war ein heiliger Bezirk im Süden der Burg, und wie (nach Hesychios *ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών*) hier die dramatischen Aufführungen stattfanden, bevor das grosse Theater erbaut wurde, so müssen sie auch später noch an den Lenäen hier geblieben sein. Aristoph. Acharn. 504."

tum est, hanc glossam ut reliquas consimiles ductam esse ex adnotatione quadam spectante ad notum illum Acharnensium locum, quo commemoratur *οὑπὶ Ληναίῳ ἀγών* [39]. Scimus autem, hanc fabulam in Lenaeis esse doctam, neque dubium videtur, quin hoc ipsum significetur illis poetae verbis [40]. Quae si ita sunt, plus est quam verisimile, eum, qui illa verba posuerit — inveniuntur autem apud unum solum Photium —, temere cogitasse de solis certaminibus Lenaeis propterea quod haec sola commemorata reperiret illo Aristophanis loco, vel saltem minus accurate locutum esse in eum modum, ut ita statuisse videri possit. Quid enim? Si ante theatrum lapideum exstructum ludi commissi essent tam in Lenaeo quam in foro, nonne per esset mirum, nisi etiam Diony-

---

39) Aristoph. Acharn. Vs. 504. Apud Hesychium adeo servatum est lemma, quod appellatur: *ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών*. Ita postquam dudum statui, vidi jam Ruhnkenium in ea fuisse sententia, ut glossam Hesychianam ex Theonis vel Didymi lexico comico censeret derivandam esse. Contra Fritzschius de Len. I, p. 35, scripsit, se persuasum habere, graecos Comici interpretes ipsos ab Hesychio saepius consultos esse, neque eum e lexicis istis omnia repetisse.

40) Cfr. quae disputavit Boeckhius Comment. de Len., l. c., p. 86 sqq., qui interpretatur: „dies Schauspiel ist ja das Schauspiel der Lenäen". Haud ab re erit paullo accuratius inquisivisse in vim atque usum dictionis *ἐπὶ Ληναίῳ*. Apparet, eam significare posse *in Lenaeo* vel *prope Lenaeum*, ita ut *ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν* esse possit *certamen, quod committitur in theatro Bacchi sub arce sito*, non ligneo illo, quod finxit Fritzschius, sed saxeo, quod statim post collapsa tabulata, quae erant in foro, aedificari coeptum est illo loco; quo in theatro circa tempora Aristophanis non solum Lenaeis verum etiam Dionysiis urbanis doceri fabulae solebant. At non quadrat illa interpretandi ratio ad locum Aristophaneum, quo desideratur peculiaris Lenaeorum significatio. Praeterea reperitur dictio *ἐπὶ Ληναίῳ* in his Platonis verbis, quae sunt Protagor. p. 326 D.: *ἄγριοί τινες, οἷοί περ οὓς πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ*. Neque hic est aptum, de loco cogitare. Sane quidem Pherecratis illa comoedia acta est in theatro Bacchi, de quo modo diximus. At Plato nihil aliud significare voluit, quam actam esse Lenaeis. Idem valet de locutione *ἐπὶ Ληναίῳ* apud Demosthenem Mid. §. 10 obvia, ubi commemoratur *ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί*. Denique similis est usus ejusdem dictionis in formula *Διονύσια τὰ ἐπὶ Ληναίῳ*, quae reperitur in Corp. Inscr. Graec. a Boeckhio ed. Vol. I, n. 157, et apud Rangabeum libr., quem inscripsit „Antiquités Helléniques" Vol. II, n. 842. Est autem *ὁ ἐπὶ Ληναίῳ ἀγὼν certamen, quod committitur in honorem Bacchi Lenaei*. Similiter *ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ* significat *docuit in honorem Bacchi Lenaei* (an quis mavult interpretari *ἐπὶ Ληναίῳ ἀγῶνι*, comparans formulas *εἰς Λήναια διδάσκειν*, quam explicuit Fritzschius de Len. I, p. 29, et *διδασκαλίαν Ληναϊκαί*, quae est apud Plutarchum Moral. p. 338, D?) et *ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ* valet pro *pompa, quae Baccho Lenaeo ducitur*, atque *Διονύσια τὰ ἐπὶ Ληναίῳ* sunt *Bacchanalia, quae in honorem Bacchi Lenaei celebrantur*. Erant autem Lenaea propria Bacchi Lenaei.

sia, certe ex parte, celebrata essent in Lenaeo, ubi situm erat et ipsum templum Bacchi Eleutherii, ad quem Dionysia magna procul dubio sunt referenda [41])? Ergo verbis, quae sunt apud Photium, praeter communem similium locorum etiam peculiaris subest error. Denique vix est quod moneamus, omnes lexicographorum locos, quibus agitur de Lenaeo eam prae se ferre speciem ut de universis ludis sermonem esse facile appareat. Id ipsum cadit in eos locos, quibus tabulatorum illorum ligneorum in foro locatorum mentio fit [42]). Itaque his si traditur id quod verum est, necesse est statuamus errori deberi gravissimo, quod tribus locis ad illos pertinentibus scriptum exstat, ante theatrum exstructum in Lenaeo commissa esse certamina.

Jam si id agitur, ut, quomodo ortus sit error, ostendatur, duplex patet explicandi via. Aut enim corrupta sunt verba *πρὸ τοῦ τὸ θέατρον* (*πρὶν τὸ θ.*) *οἰκοδομηθῆναι*, aut falso addita. Hoc alterum tum tantummodo sumi poterit, quum probabile fuerit visum, lexicographos illos, quorum adnotationes ad nostram pervenerunt aetatem, vel potius eum scriptorem, quo ipsi usi sunt auctore, quum veterem Aristophanis interpretem perperam intelligeret, porro in ea esset opinione, ut theatrum Bacchi lapideum non pertinere ad Lenaeum censeret, denique meminisset, antiquissimis temporibus non quidem certamina commissa, at tamen dithyrambos et forsan etiam alia, quae inter primordia comoediae censere liceret [43]), acta esse in Lenaeo, de his cogitasse temporibus. At quis non videat, audaciorem fore, si quis haec sumere voluerit [44]). Contra altera illa, quam diximus, via facillime perveniemus ad id, quod videri possit probabilissimum. Fac enim, verba ab interprete posita fuisse haec: *ἀπὸ τοῦ τὸ θέατρον οἰκοδομηθῆναι*, illud vero *ἀπὸ* casu abiisse in *πρό*, — et omnia in claris-

---

41) Conjecit primus Kanngiesserus libr., quem inscripsit „Die alte komische Bühne in Athen", p. 212, quam conjecturam probavit Boeckhius de Len., l. c., p. 120, recte atque ordine factam esse pluribus demonstrare studuit Fritzschius Comment. de Len. Att. Mantiss., Rostoch. a. MDCCCXXXVII edit., p. 31 sqq. Cfr. etiam quae adnotabuntur infra p. 19.

42) Sunt illi in adn. 8 exscripti. Nemo autem tam erit ridiculus, ut *τοὺς Διονυσιακοὺς ἀγῶνας* intelligenda dicat sola certamina in Dionysiis magnis committi solita. Id ipsum valet de dictione *τὰ Διονύσια* apud schol. ad Lucian. Timon. C 49 (I, p. 158 Lehm.); cfr. etiam Hesych. s. v. *Θεωρικά*.

43) Cogitaverit aliquis, haud ego, de iis, quae tractavit Geppertus l. c. p. 30 sq.

44) Non esse in locis lexicographorum huc spectantibus, quae necessario postulent, ut eos temere de antiquissimis temporibus cogitasse sumamus, binis excussis significavimus adn. 25.

sima posita erunt luce. Apparebit etiam, cur apud scriptorem Etym. magni atque apud Suidam illa verba plane sint omissa: scilicet, quod superflua viderentur, quoniam per se intelligeretur, non posse committi certamina scenica nisi theatro aedificato. At non reputavit is, qui omisit, jam antea ludos editos esse in theatro ligneo, quod erat in foro. Neque in eo haerendum est, quod Hesychium, sensum potius quam verba reddentem, illud *πρὸ* rursus in *πρὶν* mutasse sumimus. Haec igitur si probata fuerit conjectura, non jam id quod contrarium est referent ii, qui de tabulatis ligneis tradiderunt, atque ii, qui certamina in Lenaeo commissa commemoraverunt; sed hi potius efficient, ut illorum fides confirmetur.

Ergo quidem theatrum ante Ol. LXX, 1, quo tempore aedificari coeptum esse saxeum Bacchi theatrum sub arce situm, nunc etiam certius est quam fuit jam antea, in Lenaeo exstitit nullum. Antea non fuit nisi in foro exstructum theatrum ligneum. In hoc ludi edebantur tam Lenaeis quam Dionysiis. Eodem redit, quod traditur apud Photium verbis supra in adn. 15 exscriptis. Simul elucet, non esse de nihilo, quod tabulatorum ligneorum in Lenaeo positorum nulla omnino fit mentio [45]).

Jam si accuratius quaerimus, ubi fuerit locus ille cancellis, ut videtur [46]), septus, in quo tabulata lignea ad sedendum idonea [47]) exstruxerunt, haud difficile est respondere, quum, orchestra, quae erat in foro, ubi sita fuerit, probe

45) Ita esse non fugit Godofr. Hermannum (vid. Diurn. liter. Lips. l. c. p. 478), at is nihil huic rei tribuit, ut neque Boeckhius de Len., l. c. p. 73.

46) Expresso verbo testatos habemus cancellos, si probatur conjectura *γέῤῥον*, quam supra adn. 11 proposuimus. Sed vel per se credibile est, illos non defuisse. Neque profecto refragatur schol. ad Lucian. Timon. C. 49: *μήπω δὲ τοῦ θεάτρου διὰ λιθίνων κατεσκευασμένον καὶ συῤῥεόντων τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ τὴν θέαν καὶ νυκτὸς τοὺς τόπους καταλαμβανόντων, ὀχλήσεις τε ἐγίγνοντο καὶ μάχαι καὶ πληγαί.* Quae verba, quum nihil doceant, nisi facilem fuisse accessum ad theatrum, quominus cancellos, qui neque nimis firmi essent neque nimis alti atque claudi haud possent, exstitisse arbitremur, haudquaquam prohibent.

47) Unus solus Suidas s. v. *Πρατίνας* appellat *τὰ ἴκρια, ἐφ᾽ ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταί.* Cui si quid tribuendum est, aperte non erit sumendum, fuisse aliud tempus, quo stans populus, aliud, quo sedens spectaret; sed Aeschylo et Choerilo et Pratina inter se certantibus — de hac enim re sermo est apud Suidam — adeo repletum fuisse theatrum, ut, si non omnibus, at certe multis, stando esset opus.

sciamus: videlicet ibi, ubi adscendebatur ad arcem [48]). Talem vero ludorum locum si habuerunt, vel per se probabile est Athenienses tabulata non in planitie collocasse, sed in declivitate. At fieri potest, ut etiam verba scripta exstent, quae in hanc sententiam interpretari liceat [49]). In eadem fere regione recentiores aliquot homines docti sitam fuisse Pnycem conjecerunt rationibus ducti admodum speciosis [50]). Quam si probaverimus sententiam, vi quasi compellemur ad eam

---

48) Elucet hoc imprimis ex loco Timaei, quem adn. 15 exscribendum curavimus, comparato cum loco Arrhiani, qui est Exp. Alex. III, 16: *καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες* (Harmodii atque Aristogitonis), *ᾗ ἄνιμεν εἰς τὴν πόλιν, καταντικρὺ τοῦ Μητρῴου, οὐ μακρὰν τῶν Εὐδανέμων τοῦ βωμοῦ.* Accuratius de hac re post Leakium et Forchhammerum exposuit Zestermannus „Die antiken und die christlichen Basiliken", p. 36 sq.

49) Dico locos adn. 11, versus finem, significatos, quibus populus illa nigra traditur collocata fuisse *ἐπάνω τοῦ θεάτρου,* siquidem certum est, intelligendum esse theatrum ligneum in foro exstructum.

50) Ulrichsius, Welckerus, E. Curtius, Starkius. Ut brevis sim, moneo, de scriptis huc pertinentibus nuper rettulisse Starkium in Leutschii Philol. l. c. p. 708 sqq., qui, quae summa esset et quid ipsi statuendum videretur, significavit p. 710 sq. Convenit autem Starkio plane cum iis, quae suspicatus est E. Curtius in Gerhardi Nunt. archaeol., MDCCCLIII, p. 310. At nunc nuper Curtius noster hanc sententiam non esse ferendam demonstrare studuit. Facere haud possum, quin ipsa collegae conjunctissimi verba hic apponam. „Er", inquit de Starkio verba faciens in Nunt. literar. Gotting. MDCCCLIX, p. 2016 sq., „ist selbst auf den Gedanken gekommen, den Referent schon 1853 flüchtig geäussert hatte, dass die alte Pnyx an Stelle des spätern Odeion der Regilla gelegen haben möge; ein Gedanke, den auch Welcker (Pnyx oder Pelasgikon? S. 43) nicht zurückweist. Diese Ansicht ist aber nicht zu halten. Denn die Pnyx gehörte offenbar zu der Hügelreihe hinter der Akropolis; sonst hätte namentlich die Stelle in Platons Kritias S. 112 von der vorgeschichtlichen Ausdehnung des Burgfelsens, welche die Pnyx mit umfasste (*περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πνύκα*), gar keinen Sinn. Auch passt der Charakter der Abgelegenheit und der Vereinsamung, welcher der Pnyx zugeschrieben wird, nicht auf die Stelle des genannten Odeion. Aber alle diese Kennzeichen führen nach der Altstadt im Süden der Burg, die in demselben Masse an Leben einbüsste, wie die Nordseite die belebtere wurde, und so werden wir unwillkürlich mit Welcker an die Abhänge des Museion geführt, um hier das Local der Volksversammlung zu suchen, welches durch Gerölle und Schutt unkenntlich geworden sein mag. Dann haben wir wirklich eine Stelle in der Nähe der Burg (*χωρίον πρὸς τῇ ἀκροπόλει*), eine Stelle oberhalb der alten Agora bei der Aphrodite Pandemos. Pnyx und Museion werden in Plutarchs Theseus 27 als zusammenliegende Plätze genannt, und es konnte leicht geschehen, dass man den Namen Pnyx für den ganzen Berg, den südlichsten und höchsten der hinter der Burg liegenden Hügelreihe gebrauchte, welcher bei den spätern Schriftstellern als Museion, *τὸ*

conjecturam, ut ludorum et contionum jam antiquitus eundem fuisse locum sumamus, aeque atque posteris temporibus non solum Athenis, verum per univer-

Μουσεῖον καλούμενον; vorkommt (Paus. I, 25, 8). Denken wir uns den Namen Pnyx in diesem weiteren Sinne angewendet, so erhält Platons ideale Akropolis eine wohl begrenzte Ausdehnung, indem die höchsten und steilsten Höhen in Südwest und Nordost, Museion und Lykabettos, als die losgerissenen Theile derselben gedacht werden, und auf diesem Pnyxberge würde dann auch das Heliotropion Metons seinen Platz finden, welches gewiss, wie das in Syrakus (Plut. Dio 29), ein *καταφανὲς* und *ὑψηλὸν* war. Endlich führt auch die Inschrift bei Rhangabe 2285 mit den Worten *τὰ Διονύσια τὰ περὶ τὴν Πνύκα* (welche Stark a. a. O. für seine Ansicht anführt) darauf hin, die Pnyx in der Nähe der Schlucht zu suchen, welche vom Dionysosheiligthume her zwischen Burg und Museion hinführt." At enim vero Platonem, quum de arce dicit: *τὸ πρὶν ἐν ἑτέρῳ χρόνῳ μέγεθος μὲν ἦν πρὸς τὸν Ἠριδανὸν καὶ τὸν Ἰλισὸν ἀποβεβηκυῖα καὶ περιειληφυῖα ἐντὸς τὴν Πύκνα καὶ τὸν Λυκαβηττὸν ὅρον ἐκ τοῦ καταντικρὺ τῆς Πυκνὸς ἔχουσα,* Pnycem habere pro colle, ego quidem nego atque pernego. De tempore Platonis valet, quod Welckerus secundum alios animadvertit „Der Felsaltar des höchsten Zeus oder das Pelasgikon zu Athen, bisher genannt die Pnyx", in Act. Acad. Berol. a. MDCCCLII, p. 61, „Pnyx oder Pelasg.?" p. 11 sqq. et 42, de aliquo colle universo cogitandum non esse. Porro, Museum haud esse intelligendum, elucet ex loco Plutarchi, quo docemur, Pnycem fuisse diversam a Museo, simul sane, fuisse illam huic vicinam. Platonis loco satisfactum erit, si Pnycem fuisse eam regionem statueris, quae jacebat inter arcem atque Museum. Atque juxta ipsam arcem sitam fuisse Pnycem, elucet ex loco Pollucis, qui est VIII, 132: *Πνὺξ δὲ ἦν χωρίον πρὸς τῇ ἀκροπόλει, κατεσκευασμένον κατὰ τὴν παλαιὰν ἁπλότητα, οὐκ εἰς θεάτρου πολυπραγμοσύνην,* quem respiciens de vi praepositionis *πρὸς* monuit jam Welckerus „Pnyx oder Pelasg.?" p. 43, atque ex verbis, quae reperiuntur apud Harpocrationem s. v. *Πάνδημος Ἀφροδίτη,* hisce: *Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν Πάνδημόν φησιν Ἀθήνησιν κληθῆναι τὴν ἀφιδρυθεῖσαν περὶ τὴν ἀρχαίαν ἀγοράν, διὰ τὸ ἐνταῦθα πάντα τὸν δῆμον συνάγεσθαι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, ἃς ἐκάλουν ἀγοράς.* Quin hi duo loci mihi quidem id valere videntur, ut Pnycem, si quis vocabulum eo acceperit significatu, ex quo est *τόπος ἐν ᾧ τὸ παλαιὸν ἠκκλησίαζον* (schol. Ar. Eq. 746), situm non fuisse in Museo pro certo affirmem. Apparebit autem quattuor illis locis inter se comparatis, vocabuli duplicem esse vim atque usum. Usurpatur enim tam latiore quam strictiore sensu. Prius factum est loco Platonis, alterum non solum binis postremis locis, verum etiam, ut infra apparebit, apud Plutarchum. Illo sensu accipi etiam potest in verbis Philochori apud schol. Aristoph. Av. 997 (C. Mueller. Fragm. Histor. Graec. I, p. 400), quibus Meton traditur posuisse heliotropium *ἐν τῇ νῦν οὔσῃ ἐκκλησίᾳ πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν τῇ Πνυκί,* siquidem vocabulum *τεῖχος* accipiendum non est de muro urbis Athenarum (cfr. quae disputavit C. Redlichius „Der Astronom Meton," p. 18 sqq., et L. Rossium de tractu muri agentem in „Das Theseion" cet., p. XI, et „Pnyx u. Pelasg.", p. 4), sed intelligendum *τεῖχος* aliquod aliunde non notum. Quod si jure fit, quintus hic locus, quem, male quidem habitum, praebet etiam Suidas s. v. *Μέτων,* sane videri potest admittere conjecturam, contiones habitas esse in clivo Musei versus forum vetus spectante;

sam Graeciam [51]) populus in iisdem aedificiis convocari solebat, ubi ludi edebantur, h. e. in theatris. Ita si fuit, ut alia taceam, iisdem tabulatis ligneis uti poterant in contionibus atque in ludis. Atque profecto exstant loci, quos maxima cum specie verisimilitudinis ita interpretari liceat, ut Athenis olim in iisdem tabulatis ligneis comitia esse habita ludosque spectatos testatum faciant [52]). Praeterea id, quod auguramur, ludorum contionumque jam ante Ol. LXX, 1 locum fuisse tantum non eundem, confirmari videtur inscriptionis cujusdam multo sane recentioris, Athenis repertae, verbis hisce: *καταvεῖμαι δ' αὐ[τοῖς,* sermo est de legatis Colophoniorum] *καὶ θ[έαν τὸν ἀρχιτέκτο]να εἰς τὰ Διονύσια τα πε[ρὶ Πν]ύκα,* quae quin recte sint a Rangabeo [53]) restituta, dubitari non licet. Etenim postrema verba vix aliter accipere licebit quam de spectaculis in foro vetere edendis [54]). Ita vero si statuitur, sponte quivis

at simul apparet, esse hoc demum serioribus temporibus factum, ita ut statuendum sit, locum contionum aliquando esse mutatum; quo probato tantum abest, ut locus interpretis Aristoph. faciat contra locos Pollucis et Suidae, ut horum fidem confirmet et ad eos recte explicandos adhiberi possit. Cfr. tamen praeterea, quae monebuntur adn. 57.

51) Cfr. Valer. Maxim. II, 2, 5 et quae ad hunc locum adnotavit Kappius. De Athenis res est notissima, quam expressis verbis accuratius testatur Pollux VIII, 132.

52) Dico schol. ad Aristoph. Thesmophor. Vs 395: *ὡς ἔτι ἰκρίων ὄντων ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπὶ ξύλων καθημένων. πρὶν γὰρ γένηται* (G. Dindorfius: *γενέσθαι*) *τὸ θέατρον, ξύλα ἱστάμενον καὶ οὕτως ἐθεώρουν,* et locum Suidae ex eodem fonte haustum, qui est s. v. *Ἴκρια: — τὰ τῶν θεάτρων, ἃ ἦσαν καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* cett. Jam Fritzschius adn. ad Arist. l. c., p. 143, sensit, facile aliquem in illam, quam supra dixi, incidere posse horum locorum interpretationem, sed eam repudiavit, et jure quidem, pro ea ratione, qua illo, quo scripsit, tempore de his rebus statuebatur. At ego opinor, non esse consistendum in eo, ut Suidam indicare nihil aliud censeamus, quam vetustas contionum sedes et ipsas *ἴκρια* nominatas esse; sed verba ejus ita esse capienda, ut eadem fuisse tabulata lignea in spectaculis, eadem in contionibus testentur. Atque idem ipsum, nisi fallor, voluit is, qui scripsit scholion illud spectans ad Comici verba, quibus de viris Atheniensibus domum redeuntibus *ἀπὸ τῶν ἰκρίων* sermo est, quum praesertim haec verba magis (ne dicam: potius) ad contiones quam ad ludos scenicos spectent. — Vulgo existimant, tabulata illa, quoties iis opus esset, exstructa esse. Tu cave, ne in hanc sententiam interpreteris pluralem *θεάτρων*, quo usus est Suidas. In illis regionibus atque tali in solo, quale id est, in quo nos ludorum et contionum locum antiquitus fuisse apud Athenienses sumimus, tabulata, si modo ex ligno duro constabant, semel exstructa multos per annos durare poterant.

53) „Antiq. Hellén." Vol. II, n. 2285, p. 969 sqq.

54) Rangabeus l. c., p. 970 „La manière", inquit, „dont j'ai lu la dernière ligne, *Διονύσια*

unus cogitaverit de orchestra illa, quae fuit in foro. Non crediderim, minus probabilem reddi hanc interpretationem eo, quod sane dignum est, ad quod animum advertamus, vel iis temporibus, quibus jam diu exstaret theatrum lapideum, spectacula data esse eo ipso loco, quo usque ad Ol. LXX, 1. Neque enim opus est de omnibus spectaculis in Dionysiis urbanis edi solitis cogitare. Mihi quidem certum videtur, dramata non esse intelligenda, sed praeter pompam, splendidissimam illam, qua de paullo infra sermo erit, dithyrambum unum vel plures. Atque jam iterum meminisse jubeo illius dithyrambi Pindarici in foro acti; qui si demum post bella Persica compositus est — id quod vel per ea, quae ipsi contra monuimus, perquam esse verisimile jam supra diximus —, et ipse nos docet, vel post exstructum theatrum lapideum certe in Dionysiis dithyrambum unum vel plures actos esse in foro. Neque deesse videtur ratio, qua hoc, quod primo obtutu mirum videri possit, speciose sit explicandum. Notum est enim, in Dionysiis urbanis Bacchi Eleutherii simulacrum in pompa solemni e templo, quod in Lenaeo situm erat, per Ceramicum portatum esse in Academiam[55]. Probabile est, per hanc occasionem in via choros cyclios esse actos, similiter atque Thyiades Atticae, quoties Delphos peterent ad Bacchum colendum, choros ducere solebant in itinere, imprimis in urbe, cui nomen erat

---

τὰ περὶ τὴν Πνύκα, fournirait peut-être de nouvelles armes à Mr. Welcker pour défendre ses vues sur la position du Pnyx; mais je crois tout simplement que les grandes Dionysies, qui étaient célébrées au sud de l'Acropole, occupaient aussi le vallon, qui s'étend entre l'Acropole et le Musée, jusqu' au Pnyx." Credo et ipse, siquidem agitur de pompa. Contra si Starkium audis („Lehrb. d. gottesdienst. Alterthümer d. Griechen von K. Fr. Hermann, zw. Aufl.", §. 59, adn. 3), illa verba sunt „mit ein Beweis, dass die Pnyx an der Südseite der Akropolis nahe dem Theater zu suchen ist". Idem vir doctissimus in Leutschii Philol. l. c. p. 711 illis verbis usus est, ut probabile redderet, Pnycem fuisse in eodem ipso loco, quem posteris temporibus tenuisset odeum Herodis, haec addens: „Weisen nicht auf ein nahes Verhältniss zu Dionysischen Festaufführungen die — Worte der Inschrift bei Rangabé hin"? Curtii sententiam supra adn. 50 exscribendam curavimus. — Quis verum esse neget, quod Starkius significavit altero loco? At inde haudquaquam sequitur id, quod voluit. Laudandus tamen est, quod intellexit, de aliquo theatro cogitandum esse; nam dictio *κατανεῖμαι θέαν* non sinit esse dubium, quin de sedilibus, sive illis ex ligno sive ex lapide fabrefactis, sit sermo. Jam sane eo tempore, ad quod illa inscriptio pertinet, Dionysiis urbanis spectacula dabantur imprimis in theatro Bacchi lapideo sub arce sito; sed quis sibi persuaserit, hoc significatum esse verbis *Διονύσια τὰ περὶ Πνύκα*?

55) Locos attulerunt Schneiderus l. c. adn. 34 et C. Fr. Hermannus l. c. §. 59, adn. 8.

Πανοπεῖ, in confinio Boeotiae et Phocidis sita[56]). Atque in urbe Athenis sane nullus erat locus aptior ad talem chorum cyclium agendum quam forum ipsum, in quo illa, qua de supra diximus, orchestra, exstitit etiam tempore eo, quod Olympiadem LXX, 1 sequitur. De hac autem quin cogitemus, neque prohibere verba *Διονύσια τὰ περὶ Πνύκα*, certum est. Nos intelligimus ***Dionysia per Pnycem celebranda***, vocem *Πνύκα* capientes sensu latiore de foro vetere, per quod, ut scimus, ducebatur pompa in Dionysiis urbanis. Sane linguae usus permittit etiam interpretari: ***Dionysia, quae prope a Pnyce celebrabuntur.*** At obstant alia. Etenim si quis vocabulum *Πνύκα* accipere vellet sensu strictiore, aut intelligendus esset locus ibi situs, ubi adscendebatur ad arcem, quo pacto (ut taceam omnino non liquere, cur locus potius per Pnycem significetur quam ipso nomine appellato) ex iis, quae paullo supra nobis videmur probabilia reddidisse, cogitari non posset nisi de ea hujus loci parte, in qua posita erant sedilia, quod minus aptum esset, — aut, nisi fallimur conjectura, ille collis, qui vulgo creditur Pnycis nomine insignitus atque contionum locus fuisse; a quo quamquam prope abest orchestra, at tamen mirum esset, si quis eam significatam crederet illa dictione: quo accedit, quod temporum rationes non videntur admittere illam interpretationem, quum inscriptio, qua de sermo est, procul dubio antiquior sit, quam ut de hac Pnyce cogitare liceat[57]). Illa autem, quam

56) Vid. Lobeck. de Morte Bacchi p. 10 et Welcker „Griech. Götterlehre" Vol. I. p. 451. — Videntur autem, ubi spectacula diebus festis apud Athenienses edita recensentur, si sola appellatur pompa, simul intelligendi esse dithyrambi.

57) Hic locus idoneus erit, quo ad finem perducamus, quae supra adn. 50 de Pnyce disputare incepimus, et simul nostram sententiam sub uno conspectu proponamus. Pnycem igitur sensu latiore dicimus valere pro foro vetere. Sane discrimen statuitur apud Arist., Equit. Vs. 165: *καὶ τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν λιμένων καὶ τῆς Πυκνός*, inter eam, quae appellatur *ἀγορά*, atque eam, quae *Πνὺξ* vocatur. At hoc loco, quo vox *Πνὺξ* sensu strictiore accipienda est, vocabulum *ἀγορὰ* significat ***forum novum.*** Certum est autem, Pnycem veterem pertinuisse ad forum vetus. Quin iis adstipulandum esse censeo, qui vocabula *Πνὺξ* et *ἀγορὰ* eodem fere significatu praedita fuisse statuunt. Fuit autem, si quid video, id ipsum, quod foro veteri novum est additum, in caussa, ut forum vetus temporis progressu magis magisque Pnycis nomine appellari soleret, quo melius secerni posset a novo (cui, ut hoc in transcursu moneam, contiguum fuisse videtur). Strictiore sensu Pnycem appellatum esse censemus prius eum locum, quo antiquitus contiones habebantur, situm ibi fere, ubi adscendebatur ad arcem, ibidem, ubi theatrum illud ligneum exstructum erat, cujus tabulata Ol. LXX, 1 collapsa sunt, atque ubi etiam postea dithyrambi agebantur in orchestra. Tabulata lignea, quibus prioribus temporibus utebantur ad sedendum, probabile est postea

nos probavimus, verborum in lapide scriptorum explicatione accepta plus erit quam verisimile, cogitandum esse de orchestra, quum appareat, aliquod theatrum in Pnyce sive foro vetere significari, neque alius locus exstiterit in hac regione, ex quo simul pompa et dithyrambus vel dithyrambi, qui agebantur,

---

commutata esse cum sedilibus saxeis, vid. quae scripta exstant apud Welckerum „Pnyx oder Pelasg.?", p. 25 sqq. Veri est simile, factum id esse non multo post Ol. LXX, 1, vel post ipsa bella Persica. Longo post tempore contiones in alinm locum translatae sunt, si fides habenda est verbis schol. Aristoph., quae supra adn. 50 attulimus. Etenim ita, nt statuamus, dictio ἡ νῦν ἐκκλησία postulat. Fieri potest ut eodem spectet dictio τὸ παλαιὸν non solum in schol. ad Arist. Eq. Vs. 746, verum etiam apnd Harpocrationem s. v. Πάνδημος Ἀφροδίτη, qnam adhuc interpretati sunt ita, ut cogitarent de eo, quod constat, serioribus temporibus contiones haberi solitas esse in theatro. Quo ipso tempore quibusve de rationibus mutatus sit locus, non habemus dicere accuratius. Hoc tamen certum videtur, non esse cogitandum de tempore triginta tyrannorum propter conclamatum illum Plutarchi locum, qui est Themistocl. C. XX. Locus, „ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt" (cfr. Cicero de Fin. V, 2), nisi eminenter fallor, is fuit, ubi adscendebatur ad arcem. Probabiliter aliquis conjiciat, factum esse ante ipsum illud tempus, quo scribebat Philochorus; neque enim aeque verisimile duco, cogitandum esse demum de tempore, quo vixerit is, qui primus illa adnotavit ad Aristophanem. Inde, si quid video, coeptus est alius locus sensu strictiore appellari Pnyx. Supra adn. 50, versus finem, dixi, quo pacto cum aliqua verisimilitudinis specie sumere liceret, contiones posteris temporibus habitas esse in clivo Musei. At fatendum est, illam explicandi rationem, ex qua vocabulum τεῖχος de muro aliquo incognito accipitur, parum esse probabilem. Si autem intelligendum est de muro urbis Athenarum — quam ego interpretationem tantum non certam esse arbitror —, non amplius licebit statuere, dictionem ἐν Πνυκί, qua utitur scholiastes Aristoph., capiendam esse sensu latiore de foro vetere, nedum de clivo Musei ad hoc forum spectante. Etenim — ut taceam, secundum hanc explicationem verbis τῷ ἐν Πνυκὶ minus accurate significari locum, — apparet, parum aptam esse praepositionem ἐν. Accedit, quod, ut jam monuimus, Plutarchus (cujus in hac caussa eo majoris aestimanda est auctoritas, quod posteris illis temporibus vixit) Pnycem distinguit a Museo. Praeterea mihi quidem probabile videtur, hunc scriptorem, quum Museum esset collis, Pnycem et ipsam habuisse pro colle. Ita si jure statuo, certo sequitur, ut Pnycem intellexerit eum ipsum collem, quem vulgo arbitrantur hoc nomine fuisse insignitum. Utut est, vel solus locus schol. Arist. poscit, ut hanc sententiam tueamur, quum probabile sit, universum Museum neque temporibus Philochori habuisse nomen Pnycem. Contra a contionibus, quae loco in superficie collis alterius sito habebantur — quem locum sensu strictiore appellatum esse Pnycem sumere licet —, hoc nomen et facile potuit transferri et mox translatum est ad universum collem, ita ut posteris temporibus vocabulum Πνὺξ sensu latiore non tam de foro vetere quam de hoc colle usurparetur. Itaque Pnyx, quae ibi, ubi de primis

spectari potuerint, dithyramborum autem spectatio procul dubio non sit excludenda.

---

temporibus sermo est et de ipso illo loco, ubi contiones habebantur, *χωρίον* appellatur vel *τόπος*, postremis dicitur etiam *πάγος ὑψηλός, λόφος*, cfr. locos, quos tractavit Welckerus „Pnyx oder Pelasg.?" p. 11. — Reliquum est, ut binas res attingam, quae sane eam speciem habent, ut q..s huic sententiae obstare probabiliter aliquis videatur contendere posse. Rectissime animadvert..t Welckerus, eum locum, quo de postremis verbis sermo fuit, parum fuisse idoneum contionibus habendis. At enim in illud, de quo nos cogitamus, tempus cadit id, quod tradit Pollux VIII, 132 his verbis: *αὖθις δὲ τὰ μὲν ἄλλα ἐν τῷ Διονυσιακῷ θεάτρῳ, μόνας δὲ τὰς ἀρχαιρεσίας ἐν τῇ Πυκνί.* Cfr. etiam Hesych. s. v. *Πνύξ*. Porro speciosum est, quod Curtius contra semet ipsum et Starkium monet, non quadrare id, quod Pnyx sola fuerit atque deserta, ad eam sententiam, ex qua collocanda sit in eo loco, ubi postea exstructum est odeum Herodis. Jure aliquis aiat, valere idem de eo loco, cui nomen Pnyci alii ab initio, nos certe posteris temporibus fuisse arbitramur. Verum enim vero nititur illud, quod ego quidem sciam, potissimum loco Aeschinis, qui est in orat. adv. Timarchum §. 81 sq. (Orat. Att. rec. a Baitero et Sauppio Vol. I, p. 412). Aeschinis vero temporibus vocabulum *Πνὺξ* valebat etiam pro *universo foro vetere*. Atque ita accipiendum esse illo loco, docent ipsa verba, quibus inter alia sermo est *περὶ τῆς ἐρημίας ταύτης καὶ τοῦ τόπου τοῦ ἐν τῇ Πυκνί.* Fori autem veteris quosdam locos jam illis temporibus desertos fuisse, procul dubio sumere licet, et ipse sumpsit Curtius.
